



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1431. usque ad annum 1441

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118316**

§. 95. Idem Romanorum Rex electus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66426](#)

Sæcul. XV. ponerent, eoquod illi jamjam Hungariæ  
A.C. 1428. fines invasissent, & ferro, flammaque o-  
mnia depopularentur.

## §. XCV.

*Albertus in Romanorum Regem  
electus.*

*Æn. Sylv.  
Hist Boh.  
c. 55.  
Dubrav. l. 28* Interea S. R. Imperii Electores Fran-  
cofurtiæ verni jejunii tempore co-  
mitia agebant, atque eundem quoque  
Albertum communibus suffragiis in Re-  
gem Romanorum cooptabant. Verum  
obstare videbatur juramentum, quo se  
Imperatoriam dignitatem etiam sponte  
sibi oblatam non acceptaturum Hunga-  
riæ Magnatibus spoponderat. Hi enim  
Albertum ad ejusmodi jusjurandum com-  
pellebant, cum crederent, regnum Hun-  
gariæ Turcarum invasionibus ideo potis-  
sum vastatum suisse, quod Sigismundus,  
utpote Romanorum Rex, regno ab-  
fens, simul Germaniæ imperium, atque  
Hungariæ Regnum armis tueri non po-  
tuisset. Quapropter hac juramenti reli-  
gione futuris ejusmodi malis providere  
necessarium ducebant. Nihilominus E-  
lectores non minori solertia, quam me-  
liori fortuna, Friderici Austriæ Duci  
tunc adolescentis opera usi sunt, ut illius  
precibus victi assensum dederint Hunga-  
ri, & Albertus hoc nomine secundus  
summa

summa totius Germaniae gratulatione Sæcul. XV.  
 Imperium suscepit. Biduo vero, ante- A.C 1438.  
 quam Rex proclamaretur, Electores Im-  
 perii, cum mutua Papam inter & Basi-  
 leenses dissidia, necnon contraria hinc  
 inde condita cernerent decreta, statue-  
 runt, se neutrius partis edita suscipere,  
 de cetero tam Eugenium Papam quam  
 Basileense concilium venerari. Et hoc  
 ipsum fuit illud *principium Neutralitatis*  
 Germanicæ, ut vocant, tam ab Eugenio,  
 quam a Basileensibus improbatæ. Inte-  
 rea tamen Albertus electus Romanorum  
 Rex hoc Concilium approbasse videtur,  
 cum & suos Legatos antehac a Sigis-  
 mundo nominatos Synodo interesse ju-  
 beret, & Basileensibus quoque pecunias  
 pro Græcorum adventu in Austria col-  
 lectas etiam ad alios usus impenden-  
 dos (\*) concederet.

### §. XCVI.

(\*) Nec Æneas Sylvius nec Dubravius,  
 quos Continuator citat, hujus concessionis men-  
 tionem faciunt, Spondanus tamen in conti-  
 nuata Baronii historia num. 19. ad hunc an-  
 num hæc memorat: *Patres Basileenses illi*  
*(Alberto Austriæ Duci) pecunias concesserunt,*  
*ex Indulgentiis in Austria collectas pro adven-*  
*tu Græcorum, cum autem peterent, Concilii De-*  
*creta contra Eugenium observari, responsum*